

honoribus investitos, dominus scilicet R.¹ cum G.² collega et complice suo, cum prememoratus archidiaconus Gui. etsi ei accidisset humanitus, nondum tamen esset humatus. Cumque vespertinum, ut moris est apud nos infra octabas (sic) dominice ascensionis, sollempniter ageretur officium, et idem G. nescio utrum magis imprudenter quam inpudenter prorupisset in chorum, iniecta manu cantor apprehendit eum, dicens: Amice ascende superius, et stabilivit eum in sede vacantis archidiaconatus³, contra mandatum vestrum, in ecclesie Remensis et nominis et honoris vestri contemptum. Pro tam ridiculi vero facti indignatione et tante temeritatis excessu, immo pro reverencia nominis et honoris vestri, canonicis omnibus, clericis etiam suburbanis egredientibus foras, qui ad exequias defuncti nuper archidiaconi convenerant celebrandas, cum eodem G. et quodam indisciplinato iuvene cantor id presumpsit agere, quod nunquam in ecclesia nostra factum fuit antea, nec fiet postea Deo volente. Cum enim diaconus sit, contra licitum et consuetudines nostras officium tunc sacerdotis arripuit, et tantummodo cum duobus illis vespertas sollempniter reincepit, capitellum cum oratione complevit. Non est silentio subprimendum, non est subclavis palpebris intuendum, non est oblivionis pumice pervagandum, idem cantor, sicut impresenciarum apparet, iam senior, iam annorum suorum haut procul á metis vivendi castrametatus, et in proximo sue valedicturus etati, quam nimis iuveniliter ibi se habuerit, quam audacter, quam presumptuose, quam mente turbata, qualia doctor et prelatus ecclesie minoribus et iunioribus obedientie dederit et paciencie, ne quid aliud, etsi veraciter, minus decenter dicatur, exempla. Accensis animis, fremebundus minis, intonans verbis, effluens conviciis, erecto collo, fronte sublimi, cultis seu sculptis pocius arte capillis, elatis superciliis, igneo vultu, flamantibus oculis huc illucque discurrens, spectaculum mundo, dissensionem in ecclesia, dissonantiam fecit in choro. Vivencium adulator inter obsequia mortuorum funebrem litigavit ante lecticam, risit et irrisit, saltavit in psalmis, in lectionibus detrectavit (sic) alta voce ut avium decantavit, non ut placeret Deo, sed episcopo, sed Gerardo, sed Rodberto, sed recumbentibus et Herodi. Paratus sum facere fidem verbis meis, universis que proposita sunt á me capitulis, legitimis et honestis et astantibus vobis hec attestantibus viris. Est quiddam preterea, quod pretereundum non est, quodque quanto magis videtur esse veri simile, formidabile michi tanto magis esse potest, si tamen utili dulce, pulcrum honesto, iocum seriis interserere licet. Dixit enim

1) Rodbert, der oben erwähnte Neffe des Bischofs. 2) Gerhard, der Günstling. 3) Das ist nicht recht verständlich, weil doch Rodbert die erledigte Pfründe zugesagt war.